



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

Οίχια ἀ'κείροποτες.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

untur. Profectò, qui DEUM non videt foris stat, imò, procul ab illo distat, quia DEUS ad illum se habet, ut longè absens. At, qui illum clarè videt, præsens illi est, neque hæret quasi foris, vel in vestibulo, sed ingressus præsens cum illo agit. Amor quoque facit ut intra Dilectum amans commoretur, cum unicus ipse sit ei locus, Domus, requies.

DOMUS INDISSOLUBILIS

Corpus gloriosum, & Beatitudo.

UTRUMQUE nectimus, quia & sententia Apostoli patitur, & Interpretum auctoritas. Ex Græcis, Methodius, habitationem manu factam Corpus mortale appellari dicit, quia opera atque industria humanâ erigitur & conservatur: non manufactam, tum corpus immortale, tum vitam beatam in cælis, nulla amplius manus opera, nullo hominum ædificantium subsidio indigentem. (a) Sic quoque Photius apud Oecumenium diligenter notat antithesim inter utramque Domum a Paulo indicatam. Nam quæ jam inhabitatur à mortali- bus in terra, vocatur terrestris: altera verò, cælestis quia in cælo, tanquam amplissima regione constituta. Illa dicitur facile dissolvi, ut momentanea agnoscatur ista manere æternùm. Illa manu, id est corporeis viribus erecta, & aliquamdiu conservata: Ista non humanis viribus, neque corporis sed animæ industria, meritoriiis videlicet actibus, qui in anima sunt, aut ab illa dimanant, divina virtute semper principalem in hac architectone obtinente, extracta. Et sanè, non solum corpus immortalitate denatum, sed etiam quicquid naturam vim, & efficientiam superat, ut est Beatitudo, seu Gloria cælestis, tanquam Domum in habitabunt electi, &c.

(a) Οὐκ ἔστιν ἀρχιγονότος, Domus non manufacta:

Et dicitur Ædificium non manufactum. Et quæ deinceps subjungit Apostolus de Vita in Cælis beata optimè intelliguntur. Est autem D. Chrysoptomi illa utilis observatio, S. Paulum miro artificio usum vocabulis, quibus ostenderet quantum futura præsentibus anteferenda sint: nam terrestri habitationi opponit cælestem; tabernaculo Domum non manufactam in cælis.

His adjuuge, cum Cælum optime tanquam Civitas concipiatur, Ad Hebræos XIII. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*: In eo quotquot sunt Cælites tot licet numerare Domes, operibus meritoriorum fabricatas: nempe, vel Gloriam & Beatitudinem, tam quoad Angelos, quam homines; vel Corpus gloriosum & vitam Beatam quoad homines; Neque Sapientibus Seculi planè incognitæ fuerunt Domus illæ cælestes. Certè, Clemens Alexandrinus lib. IV. Stromatum postquam de iis differvisset, secundum Apostoli sensum, & dixisset: Justos, tanquam hospites & peregrinos animum ab luteis hisce domibus, quas inhabitant, & rebus omnibus, quæ sub sensum cadunt, abducere, mox profert Pindari sententiam, qui ajebar, impiorum infra cælum crebris cruciatibus divexari, & malorum veluti mole premi: piorum verò in cælo suam habitationem obtinere. Quid hoc est aliud, quam cælestem Domum incolere?

ARTICULUS III.

ÆDIFICIUM MERITORUM

Quomodo construatur à DEO? & Quomodo ab hominibus iustis.

CORPORE mortali, tanquam Domo terrestri, dissoluta, seu, ut etiam vox (*) Græca sonat, destructa,
 Prima pars: N habe-